

Beihet

2

S

1268 Dez. 2 Münster.

[40]

Gerhard, Graf von der Mark, Bischof von Münster, befundet, daß die Verzicht-
leistung auf den Hof Bedemerswic, Käpl. Osterwick, zu Gunsten des Klosters Varlar
Kraft haben solle.

Gerardus, Dei gratia comes de Marka, Monasteriensis episcopus, omnibus
praesens scriptum visuris notum esse cupimus, quod Thidericus de Schone-
beke miles et Helewigis *uxor* eius et filii eorundem constituti in nostra
praesentia resignationem, quam ipsi antea communi omnium ipsorum volun-
tate et consensu solemniter *in choro ecclesiae Monasteriensis* in die dedicationis
ipsius coram venerabilibus *viris* Walramo praeposito, Frederico decano, Ren-
frido thesaurario et capitulo ecclesiae ipsius, praesentibus laicis Hermanno
de Ludinghusen, Rodolpho *de Meinhuel*, Alberto Dapifero, Henrico Selekinck
et Siberto Norendin *militibus* et multis aliis clericis et laycis, fecerant de

curte Bedemerschwic dicta *Dudekinck*, sita in parochia Osterwick, quam
idem Thidericus religiosis *viris* praeposito et conventui monasterii in Varlare
de communi praedictorum *suorum* haeredum consensu proprietario jure
vendidisse legaliter et pecuniam sibi inde promissam recepisse professus est
publice, denuo innovabant, curtem eandem cum universis et singulis eius
attinentiis et juribus in nostris manibus libere et absolute ad manus dicti
monasterii resignarunt, abrenunciantes plane et simpliciter omni iure, quod
in eadem curte ipsis competebat vel quoquomodo posset competere in futuro.
Data nihilominus fuit ibidem talis sententia, quod huiusmodi resignatione
abrenunciatio factae coram *nobis* non minus erunt validae praefato monasterio,
quam si factae fuissent *in figura* talis iudicii, quod vulgus vriethinc dicit,
cum solemnitatibus, quae circa talia ibi fieri consueverunt. Ne igitur supra-
dictum imposterum violare possit cuiuscunque *calumnia*, scriptum praesens
inde confectum nostro et *nostra* ecclesiae ac praedicti Thiderici sigillis
pariter est munitum. Acta sunt haec ultimo Monasterii in domo praepositi
Monasteriensis, praesentibus praeposito Hermanno dicto de Holte et Buss-
ceno canonico Monasteriensi; Themone nostro notario, item Henrico de
Thetten, Godefrido de *Hetbe* et Hermanno quandam judice in Monasterio
militibus; Machario de *Bilrebeke* et multis aliis clericis et laycis. Antea
vero, quando resignatione et abrenunciatio praedictae a memorato Thiderico
et filiis eius fiebant *in choro* ecclesiae Monasteriensis, fuerunt ibi praesentes
praeter ipsius ecclesiae *praelatos* et canonicos Hermannus de Ludinghusen,
Rudolphus de Meinhuele, *Albertus* Dapifer, Henricus Selekinck et Sibertus
Norendin milites et alii *innumerabiles* clerici et layci. Anno Domini
M^oCC^oLX^o octavo, IIII Nonas Decembri.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 41/42.